

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Verecundia d in editionibus 1493/5 & 1550 cum fonte primo

Verecundia

cum sit omnibus aetatibus personis temporibus et locis apta: tamen adolescentes iuuenilesque annos maxime decet.

ut artifex in materia commodiore melius operari solet: sic uerecundia in ipso quoque corporis decore plus eminet. ita tamen ut etiam ipse non sit affectatus decor corporis. sed naturalis simplex neglectus magis quam ornatus uel cultus uel expetitus.

Ambrosius ibidem (de officiis libro primo).

Manipulus florum, Verecundia a (Venetiis, 1493/5), sig.L3r.

Delectauit me diutius in partibus demorari uerecundiae quia ad uos loquebar qui aut bona eius ex uobis recognoscitis aut damna ignoratis. Quae cum sit omnibus aetatibus, personis, temporibus et locis apta, tamen adulescentes iuuenalesque annos maxime decet.

In omni autem seruandum aetate ut deceat quod agas et conueniat et quadret sibi ordo uitae tuae. Vnde Tullius etiam ordinem putat in illo decore seruari oportere idque positum dicit in «*formositate, ordine, ornatu ad actionem apto*», quae difficile ait loquendo explicari posse et ideo satis esse intellegi.

Formositatem autem cur posuerit, non intellego, quamuis etiam ille uires corporis laudet. Nos certe in pulchritudine corporis locum uirtutis non ponimus, gratiam tamen non excludimus quia uerecundia et uultus ipsos solet pudore offundere gratioresque reddere.

Vt enim artifex in materia commodiore melius operari solet, sic uerecundia in ipso quoque corporis decore plus eminet, ita tamen ut etiam ipse non sit adfectatus decor corporis, sed naturalis, simplex, neglectus magis quam expetitus, non pretiosis et albensibus adiutus uestimentis sed communibus, ut honestati uel necessitati nihil desit, nihil accedat nitore.

Ambrosius Mediolanensis, *De officiis*, 1, 19 (CCSL 15, M. Testard ed., p.31, ll.1-20).

Verecundia

cum sit omnibus etatibus, personis, temporibus et locis apta: tamen adolescentes iuuenilesque annos maxime decet,

ut artifex in materia commodiore melius operari solet: sic uerecundia in ipso quoque corporis decore plus eminet. ita tamen, ut etiam ipse non sit affectatus decor corporis. sed naturalis, simplex, neglectus magis quam expetitus.

Ambrosius ibidem (de officiis libro I. capitulo 18).

Flores omnium fere doctorum (Venetiis, 1550), fol.524v.